



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Famulus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

mentum, aut saltē esse dubium valorem ejus, nisi ungantur omnia organa quinque sensuum, idē dicendum, primam opinionem, quamvis speculativē probabilem, in praxi tamen esse damnationi subjctam, ut minus tutam.

F A M U L U S.

230. **Q**uæritur. An famuli, & famulæ domesticæ possint occultē heris suis surripere ad compensandam operam suam quam majorem judicant salario, quod recipiunt?

Resp. Nisi debitum sit certum, non licet facere compensationem, neque spoliare eum, qui possidet, quando enim famulus ex rationibus probabilibus contendit, herum debere majus pretium famulatus, tale debitum non est certum, & evidens, idcirco non licet famulo facere eam compensationem, herum possidentem spoliando; ita declaravit *Innoc. XI. damnans prop. 37.*

231. Quæritur. An in evidenti injustitia dominorum liceat famulis, vel in judicio, vel extra illud compensare sibi mercedem debitam?

Resp. Affirmativē, nam in evidenti injustitia licet famulis petere in judicio equalitatem mercedis sibi debitæ, aut si ex aliqua causa non possint in judicio sui juris æqualitatem consequi, poterunt extrajudicialiter sibi occultē compensare.

232. Quæritur. An ad eam compensationem sufficiat, quod famulus censeat, irrogari sibi evidenter injustitiam?

Resp. Non sufficere, immo neque fidentum esse judicio Confessarii mediocriter docti,

docti, sed dumtaxat iudicio hominis valde docti, & in re morali versatissimi; etenim res est non parum difficilis ferre iudicium de adæquatione mercedis ad operam, & laborem.

233. Quæritur. Ex quibus capitibus dignoscatur evidentia in iustitiæ, quam herus irrogat famulo in diminutione salarii?

Resp. Sicut in mercibus est triplex pretium, summum scilicet, medium & infimum, ita & in ministeriis famulorum; sumitur autem hæc mensura stipendii tum ex lege, tum frequentius ex consuetudine, ita ut stipendium sit evidenter iniustum, si sit minus infirmo; sed ad hoc mensurandum sunt attendende plures circumstantiæ: 1. quod stipendium non debet mensurari cum integra sustentatione famuli, & ejus familiæ, sed solum cum valore laboris sui, aut industriæ, quam impedit; 2. attendendum est, stipendium etsi famulo videatur tenue, est tamen iustum, si sint alii, qui eodem pretio fervirent. 3. Sicut merces ultroneæ vilescunt, ita cum famulus rogat herum ero suo famulatu, iusta erit conventio pro minori pretio. 4. quando cogitur invitus fervire pro minori pretio, ita ut non attingat infimum, aut secundum aliquos, medium, tunc fit famulo manifesta iniustitia. 5. si herus solvat famulo stipendium in rebus, quibus non eget, & quas cogitur vendere minori pretio, est evidens iniustitia. 6. si famulus in ipsa conventionem condonet heri partem iusti stipendii, non potest allegare sibi irrogatam esse injuriam; hæc sunt præcipua, quæ attendenda sunt pro commensuranda iustitia salarii.

234. Quæ-

234. Quæritur. An damnatio proposita sit restringenda ad solos eos, quibus competit propriè, & strictè obsequium famulatus; an potius extendenda sit ad omnes eos, qui præstant munera, aut officia accepto stipendio pro obeundo munere sibi commisso?

Resp. Eam damnationem extendi ad omnes illos, & ita licet omnes administratores vectigalium Principis, aut Republicæ non sint propriè famuli, ad illos tamen extenditur hæc damnatio; sicut etiam administratores rei familiaris Communitatum, Patronatum: ad custodes etiam montium, agrorum, vectigalium, item ad Prætores, Judices, Medicos, & ad quoscunque alios, qui ex condicto stipendio operam, laborem, aut industriam suam impendunt; & ratio est, quia propositio, & ejus damnatio loquuntur de his omnibus, qui accipiunt salarium pro opera sua præstanda, salarium enim est nomen universalissimum pro omnibus eis officiis.

235. Quæritur. An si famulus ex errore invincibili (bona fide, puta ex consilio Confessarii indocti) subripuit dominio excessum imaginarium salarii, existimans id sibi licere, posteaquàm cognoscit, id esse illicitum, teneatur illum herò restituere?

Resp. Si adhuc durat in famulatu, certum est teneri, remittendo tantam partem salarii, quantam subriperat, nam dum durat famulus tenetur stare contractui, & excludi illam partem salarii subreptam, etiam in casu, quo finitus est famulatus teneatur famulus restituere non solum id, in quo factus est ditior, sed etiam tantam partem ejus quantitatis, quantam sub præ-

textu

textu salarii subripuerat, etenim obligatio ex contractu durat, donec impleatur.

236. Quæritur. An peccet mortaliter famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne à domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur?

Resp. Affirmativè, juxta decretum Innoc. XI. damnantis prop. 51. & ratio est, quia illæ actiones sunt intrinsecè malæ, atque adeo nullo metu cõhonestari possunt, etiamsi famulus timeat aliquod multo majus detrimentum, scilicet mortem, aut mutilationem à domino valde superbo, & iracundo, illicitum est ei cooperari proxime peccato domini sui: id enim, cum sit malum intrinsece, ex nulla quantumvis urgente causa justificari potest.

237. Quæritur. Quænam actiones sint, quæ comprehenduntur sub illi terminis in prop. 51. contentis: *aut quid simile cooperando?*

Resp. Eas esse, quæ adjuvant de facto ad exequendam luxuriam, quamvis abstractæ ab illis circumstantiis sint indifferentes; tales sunt deferre concubinam ad domum heri, sive famulus deferat in sella gestatoria, sive deferat eam comitando; item ferre scienter literas provocatorias ab hero ad Concubinam, vel è converso, sive eas literas scribere, vocare concubinam, ut adeat domum, vel cubile heri, pergere jussu heri ad sequendam mulierem, ut sciat ubi habitat, ut id notum faciat domino, signare locum

locum ubi sit concubina, lectum sternere &c. nam hæ actiones adjuvat de facto ad exequendam luxuriam heri; possunt tamen excusari famuli, quando scilicet ignorant, ea ministeria esse pro exerenda libidine, & quamvis mera suspicione tangatur, ea solet non esse talis, ut extrahat eos à mera dubitatione.

238. Licitæ tamen sunt actiones alię ministrandi, quæ non adjuvant ad exercendam luxuriam, v. g. si concubina existens in domo heri peteret à famulo aquæ poculum, non esset illicitum aquam illi ministrare, quia ministratio aquæ non adjuvat ad exequendam libidinem; & sic in similibus actionibus, quæ ad id nihil adjuvant.

F I D E S.

239. **Q**uæritur. An detur præceptum speciale fidei?

Resp. dari in fide speciale, & proprium præceptum ad illam pertinens, & obligans sub mortali, nam qui non crediderit, condemnabitur: *Matth. ult.* opinio opposita damnatur ab Innoc. XI. cum propos. 16.

240. Quæritur. An contineatur sub ea damnatione propositio affirmans, præceptum affirmativum obligans ad eliciendos actus fidei non esse speciale, & per se, sed solum negativum interdicens peccata opposita fidei?

Resp. Eam propositionem, quamvis prima facie videatur non includi sub damnatione, eo quod censura Pontificis non distinguat inter præceptum fidei affirmativum & negativum; tamen re altius confi-

de ra-